

**A n h a n g**  
 enthaltend die im I. und II. Kapitel an-  
 geführten Urkunden.

**Litt. A.**

*Gerh. Joh. Vossius in commentario de rebus pace  
 belloque gestis etc. pag. 14.*

Nempe jam ab iis temporibus, quibus Deus Opt. Maxim. Imperio Romani, quasi coeli dimissum dedit Carolum, Francorum regem, a rerum gestarum gloria Magnum appellatum, non optimum modo Reipubl. Principem, sed etiam Ecclesiae vindicem, studiorumque instauratorem ac patronum omni laude majorem. Tantus Rex atque Imperator (Carolus Magnus) ut censor erat virtutis aequissimus, ex ea Galliae Narbonensis parte, quae Langvedocium et Occitanea dicitur, virum evocavit et summi nominis et maximae dignitatis Aloysium de Urbach, ei que ut in Germania sedem suam figerit, persuasit. At quo promptius illud faceret, simul ut praemium extaret dignum ejus virtutibus (absque quo esset, verbis tantum inescatus videretur) amoenum ei atque frugiferum locum adsignavit, ad flumen Albis, ubi oppidum et castrum quod Dhonae nomine insignitur, celebre jam tum erat. Juxta vero postulaverat ab Urbachio Caesar, ut Dresda ab se contra Bohemos, Naumburgo ad Salam contra Sorabos munitis, ille tam suas, tam Germaniae limites defensurus, Vandalos idololatrias, quorum tetra colluvies se hinc inde Imperium infuderat Romanum, ulteriores facere progressus minime pateretur. Nec sua sagacissimum Imperatorem spes fefellit. Nam ita Urbachius susceptam administravit provinciam, ut Caesar Ludovicus cognomento Pius, ejus Pater ipse Carolus corona Imperiali caput insigniverat, Aloysii filio Conrado ejusque haeredibus non donavit modo territorium Dhananum, sed titulo quoque illud Burggravii quasi honestamento gentilitio exornavit.